

Divinitas filii eiusque patri subordinatio in Novatiani libro de trinitate.

Dr. Gulielmus Keilbach.

Regulam veritatis exponere intendens Novatianus nihil magis asseverat quam fidem in Deum Patrem, rerum omnium perfectissimum conditorem, et in Dei Filium, Christum Jesum, Dominum nostrum. At contra ditheismi periculum verbis explicitis unitatem Dei confitetur statuendo Filii originem secundum substantiam a Patre.[1] Quibus assertis quaestio nostra extremis lineamentis, atta-

---

[1] In primis proponimus abbreviationes pro operibus, quae pluries citabuntur:

W. Yorke Fausset: Novatiani romanae urbis presbyteri de trinitate liber. (Cambridge Patristic Texts), Cambridge 1909. (= Fausset). In toto tractatu utimur excellenti hac editione critica singulosque textus accurate iuxta eam citabimus indicando caput libri De Trinitate, paginam et lineam in ipsa hac editione. — Integer textus simul cum commentario Gallandii habetur in Migne, P. Lat., III, 913—982.

A. D'Alès: Novatien. Étude sur la théologie romaine au milieu du IIIe siècle, Paris 1924. (= D' Alès). Hoc opere cum minutissima tantum correctione continetur articulus »Novatien et la doctrine de la Trinité á Rome au milieu du troisième siècle« primo publici iuris factus in Gregorianum III, Romae 1922, p. 420—446, 497—523.

Hermann Jordan: Die Theologie der neuentdeckten Predigten Novatians. Eine dogmengeschichtliche Untersuchung. Leipzig 1902. (= Jordan).

Valdemar Ammundsen: Novatianus og Novatianismen. En kritisk Fremstilling af Novatianus 's Liv og Forfattervirksomhed samt Eftervisning af den novatianske Bevaegelses Omfang og Betydning. Kjobenhavn 1901. (= Ammundsen).

Prudentius Maranus: Divinitas Domini nostri Jesu Christi manifesta in Scripturis et Traditione. Wirceburgi 1859. (= Maranus).

Dr. J. A. Dorner: Entwicklungsgeschichte der Lehre von der Person Christi von den ältesten Zeiten bis auf die neueste. I², Berlin 1851. (= Dorner). — Ceterae citationes loco opportuno accurate tradentur.

men concinne adumbratur. Priusquam autem ad accuratiora ascendimus, quaedam utilia praemittere opportunum ducimus.

Primo quidem quaeri posset, utrum liber De Trinitate sit iure Novatiano attribuendus. Quam quaestionem hodie silentio praeterire licet. Consensus enim unanimis evasit pro Novatiano auctore in disputationibus saeculo potissimum praeterlapso hac de re habitis. At quemadmodum res gestae sint, paucis diligenter referre sufficiat.

Antiquis temporibus iuxta Rufini testimonium liber De Trinitate a macedonianis constantinopolitanis s. Cypriano adscribebatur. Ipse autem Rufinus Tertullianum auctorem aestimabat.[2] S. Hieronymus e contra tertiam sectatus est opinionem asserendo: »... nec Tertulliani liber est, nec Cypriani dicitur, sed Novatiani, cuius et inscribitur titulo et auctoris eloquium styli proprietas demonstrat.«[3] Atque alio loco dicit de Novatiano: »Scripsit ... et de Trinitate grande volumen, quasi ἐπιτομήν operis Tertulliani faciens, quod plerique nescientes, Cypriani existimant.«[4] In explicando termino ἐπιτομή iuxta sensum hic latentem auctores multum laborant. Bardenhewer sic iudicat: »Hieronymus muss sich geirrt haben; gerade in dem Schriftstellerkataloge steht ein Flüchtigkeitsfehler bekanntlich nicht vereinzelt da.«[5] Vide de hoc etiam alios auctores infra relatos.

Recenter authentiam impugnabat H. Hagemann, qui unum e discipulis s. Irenaei, qui sit contemporaneus s. Hippolyti, auctorem esse contendit.[6] Similiter etiam J. Quarry, iuxta quem tamen liber

— En etiam textus ad assertum nostrum supra propositum confirmandum: »Regula exigit veritatis ut primo omnium credamus in Deum Patrem et Dominum omnipotentem, ... rerum omnium perfectissimum conditorem ...« Fausset, cap. 1, p. 1 (1) —2 (1). »Eadem regula veritatis docet nos credere post Patrem etiam in Filium Dei, Christum Jesum, Dominum Deum nostrum, sed Dei Filium ...« Fausset cap. 9, p. 28 (4—6). »Est ergo Deus Pater omnim institutor et creator, solus originem nesciens, invisibilis, immensus, immortalis, aeternus, unus Deus; ... ex quo, quando ipse voluit, sermo Filius natus est: qui ... in substantia prolatae a Deo virtutis agnoscitur.« Fausset, cap. 31, p. 115 (18) — 116 (7).

[2] Rufinus, Liber de adulteratione librorum Origenis; Migne, P. Gr., XVII, 628—629.

[3] S. Hieronymus, Apologia adversus libros Rufini, lib. II, 19; Migne, P. Lat., XXIII, 444.

[4] S. Hieronymus, De viris illustribus, cap. 70; Migne P. Lat., XXIII, 681.

[5] Otto Bardenhewer: Geschichte der altkirchlichen Literatur II, Freiburg i. Br. 1903, p. 566.

[6] H. Hagemann: Die römische Kirche und ihr Einfluss auf Disciplin und Dogma in den ersten drei Jahrhunderten, Freiburg i. Br. 1864, p. 406 sqq.

fuisset primo graece conscriptus atque s. Hippolytum haberet auctorem at postea in versione latina magis divulgatus ad nos pervenisset.[7]

Horum vero sententiam reppulerunt C. Weyman et G. Landgraf, qui fructum suae inquisitionis breviter sic recolunt: »Es dürfte sich aus unseren Zusammenstellungen mit Evidenz ergeben: 1) Die Schrift de trinitate ist sicher von dem Verfasser der epistula de cibis Judaicis geschrieben worden, sodass Zweifel an ihrem novatianischen Ursprung nicht mehr statthaft sind. 2) Die Schrift de trinitate ist gleich der epistula de cibis Judaicis eine original-lateinische Schrift, nicht eine Übersetzung aus dem Griechischen...«[8]

Secundum quod praenotandum, spectat litteraturam a nobis consultam. Iuxta scientiae exigentias omnia opera atque scripta, circa quae etiam levissima tantum emergebat spes vel possibilitas cuiusdam cum nostra quaestione connexionis, accurate inspicere studuimus, quamquam minime necessarium apparebat ad omnia et singula in notis attendere.

Tertium tandem quod praemittendum, respicit scopum inquisitionis nostrae. Mens nostra non erat probationem divinitatis Filii, prout apud Novatianum invenitur, in toto suo ambitu proponere, sed eam potius novo sub aspectu exprimere: secundum quod nempe Verbum aeternum ingreditur tractatum de ss. Trinitate. Quae vero circa hanc quaestionem ab eruditis auctoribus irrefragabili fere demonstratione vindicata iam sunt, simpliciter praesupponere placuit.

Sic igitur ad nostram quaestionem iam prope accedimus. Etenim in variorum auctorum sententiis perscrutandis saepe hoc idem

---

[7] J. Quarry: Novatiani de trinitate liber: its probable history; in Hermathena X, 23, p. 36—70 (London—Dublin 1897).

[8] C. Weyman — G. Landgraf: Novatians epistula de cibis Judaicis; in Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik XI, p. 225 (Leipzig 1898—1900).

Si vero vis certiorem te reddere de consensu supra indicato, tunc confer quodlibet manuale patrologiae. Maxime tamen iuvabit videre Harnack-Preuschen: Die Überlieferung und der Bestand der altchristlichen Litteratur bis Eusebius, Leipzig 1893, p. 653; O. Bardenhewer: Geschichte der altkirchlichen Literatur II, Freiburg i. Br. 1903, p. 566; Realencyclopädie für protestantische Theologie und Kirche XIV[3], Leipzig 1904, p. 226 (A. Harnack: Novatian); M. Schanz: Geschichte der römischen Litteratur III[2], München 1905, p. 420—421; Fausset, p. XXII—XXIX; A. D'Alès: Le Corpus de Novatien, in Recherches de science religieuse IX, Paris 1919, p. 295—296, sed utiliter leges totum articulum (p. 293—323), qui continetur etiam in opere indicato de Novatiano; Umb. Moricca: Storia della letteratura latina cristiana I, Torino 1923, p. 550 sq.; Alb. Ehrhard: Die Kirche der Märtyrer. München 1932, p. 309, 326.

invenimus: una ex parte expositionem Novatiani de Filii divinitate magnis laudibus celebrant, altera vero ex parte quosdam subordinatianismi defectus significare non negligunt. Non raro tamen potius generalibus affirmationibus indulgent, quam particularia argumenta proponunt. At cum talia proponunt, valde etiam inter se dissentiunt. Inde cupimus in ipsum Novatiani textum inquirere eiusque mentem in locis plus minusve obscuris detegere ac perspicue proponere.

Bimembris divisio nobis ex ipsa rei natura imponitur. Inquisitio proin versabitur cum circa Novatiani argumenta ad divinitatem Filii probandam tum circa eius mentem vitiis cuiusdam subordinatianismi intextam. Primam partem breviter expedire licebit, cum peculiaribus difficultatibus minus obnoxia sit. Nihilo secius attentius considerabimus egregium illud argumentum, haustum ex ipsius Christi verbis: »Ego et Pater unum sumus« (Jo. 10, 31). In secunda vero parte inquisitioni vastior campus reservatus erit ideoque in eius quaestionibus ponderandis magis insistemus.

I.

Ut statim ab initio praeficiamus primae parti testimonium minime negligendum, laudentur praeclara verba Marani, qui inter cetera de Novatiano ait: »Nullum fere divinitatis Christi argumentum afferri potest, quod ab hoc Scriptore praetermissum sit... Liquere arbitror quidquid in Scripturis de Christi divinitate magnifice dicitur, id Novatianum et vehementer admiratum esse et constanter tenuisse et credidisse.«[9] Et profecto, perlustrando utrumque Testamentum, vetus scilicet et novum, Novatianus testimonia sacrae Scripturae revera acervatim frequentat eaque adstricta eloquentia clare exstruendo in pressiorem argumentorum redigit formam.

Sequimur in expositione ordinem ab ipso Novatiano praestitutum, ut etiam ex hoc eius mens clarius appareat.

1. Sicuti fas est, prae omnibus Novatianus operam dat in munienda sibi via enumerando affatim sacrae Scripturae textus, quibus clarissime constat »hunc... Jesum Christum... Dei Filium, et in veteri testamento... esse repromissum et in novo testamento ... exhibitum«[10] eiusque »praesentia corporatae veritatis«[11] umbris atque figuris in prophetiis expressis tandem suae significationis realem adimpletionem obtigisse.

Postea per integri capitis laborem, humanitate Christi contra docetas et gnosticos in tuto collocata, Novatianus divinitatem Filii exhibere pergit.[12] Non enim, ait, »sic de substantia corporis ipsius exprimimus, ut solum et tantum hominem illum esse dicamus;

---

[9] Maranus, lib. 4, cap. 19, 1 (p. 617—618).

[10] Fausset, cap. 9, p. 28(8—10).

[11] Fausset, cap. 9, p. 28(11—12).

[12] Vide totum caput 10.

sed ut divinitate sermonis in ipsa concretione permixta etiam Deum illum secundum Scripturas esse teneamus.«[13] Vituperat dein haereticos, i. e. adoptianistas, quod Christum nudum et solitarium hominem asserunt, auctoritatem divinam illi abnegantes, dum reapse dicere eum debeamus »D o m i n u m et p r i n c i p e m mundi, cui a suo Patre omnia tradita sunt et cuncta concessa, per quem instituta sunt universa, creata sunt tota, digesta sunt cuncta, aevorum omnium et temporum r e g e m, angelorum omnium p r i n c i p e m, ante quem nihil praeter Patrem«.[14] Oportet enim in Christo non tantummodo infirmitates considerare, sed et ad altiora ascendere. Nam etsi passiones in illo ostendunt humanam fragilitatem, opera tamen quae ipse peregit asserunt in illo divinam potestatem.[15] At prosequitur Novatianus alacri cum animo et fatur: »Non est ergo in unam partem inclinandum et ab alia parte fugiendum, quoniam nec tenebit perfectam veritatem quisquis aliquam veritatis excluserit portionem. Tam enim Scriptura etiam Deum annuntiat Christum, quam etiam hominem ipsum annuntiat Deum; tam hominem descripsit Jesum Christum, quam etiam Deum quoque descripsit Christum Dominum. Quoniam nec Dei tantum illum Filium esse proponit, sed et hominis; nec hominis tantum dicit, sed et Dei referre consuevit: ut dum ex utroque est, utrumque sit; ne si alterum tantum sit, alterum esse non possit.«[16]

Necessario igitur Christum Jesum Deum nuncupare et credere debemus. Nam in Scripturis legimus eum ante ipsum Abraham esse (Jo. 8, 58), Dominum David vocari (Mt. 22, 43—45), Dominum sabbati exprimi (Mt. 12, 8; Lc. 6, 5), de vivis et mortuis iudicium habere reperiri (Jo. 5, 21—22) atque ante ipsum mundum fuisse perhiberi (Jo. 17, 5; 1, 10; Act. 10, 36; Rom. 1, 3). Fides ergo non erit perfecta ideoque nec vera nisi utrumque in Christo credamus, humanitatem scilicet et divinitatem. »Nam si ex duobus, altero in fide cessante, unum, et quidem id quod est minus, ad credendum fuerit assumptum, perturbata regula veritatis, temeritas ista non salutem contulerit, sed in vicem salutis de iactura fidei periculum mortis grande conflaverit.«[17] Et recurrendo iterum ad prophetias haud obscuras Osee (1, 7), Isaiae (7, 14; 35, 3—6) et Habacuc (3, 3) explicitis et minime ambiguis verbis Novatianus contra sacrilegam, ut ipse ait, haeresin sabellianam acriter invehit, minus tamen quoad rem nova proferens.[18]

Deinde iam profundiora indagare atque exprimere incipit. Etenim animadvertit, per testimonium Scripturae in prologo Joannis

---

[13] Fausset, cap. 11, p. 35(8—12).

[14] Fausset, cap. 11, p. 35(13)—36(3). Sublineatio est nostra.

[15] Fausset, cap. 11, p. 36(15 sqq).

[16] Fausset, cap. 11, p. 37(4—13).

[17] Fausset, cap. 11, p. 38(21)—39(3).

[18] Confer integrum caput 12.

de nativitate Christi »Scripturam evangelicam utramque istam substantiam (nempe humanam et divinam) in unam nativitatis Christi foederasse concordiam.«[19] Et quia per ipsum Verbum, in plenitudine temporis caro factum, omnia praeter Deum facta sunt — vel prout s. Paulus praeclare testatur: »visibilia et invisibilia ... omnia per ipsum ... constant« (Col. 1, 16) — ideo Christus merito Deus dicitur. Sed insuper et ipse Christus appellat ad claritatem, quam habuerat apud Patrem antequam mundus esset (Jo. 17, 5). »Ac si de caelo descendit Verbum hoc tamquam sponsus ad carnem, ut per carnis assumptionem Filius hominis illuc posset ascendere, unde Dei Filius Verbum descenderat, merito ... recipit iam claritatem illam, quam ante mundi institutionem habuisse ostenditur, Deus manifestissime comprobatur.«[20]

2. En igitur ad ea pervenimus, quorum nostra maxime interest. Sequitur enim nunc breve illud incisum, cui Maranus, uti supra expressum est, suam admirationem denegare non potuit. Ecce quomodo Novatianus loquitur: »Quod si, cum nullius sit nisi Dei cordis nosse secreta, Christus secreta conspicit cordis: quod si, cum nullius sit nisi Dei peccata dimittere, idem Christus peccata dimittit: quod si, cum nullius sit hominis de caelo venire, de caelo veniendo descendit: quod si, cum nullius hominis haec vox esse possit, Ego et Pater unum sumus, hanc vocem de conscientia divinitatis Christus solus edicit: quod si postremo omnibus divinitatis Christi probationibus et rebus instructus apostolus Thomas, respondens Christo Dominus meus et Deus meus dicit: quod si et apostolus Paulus, quorum, inquit, patres et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula, in suis litteris scribit: quod si idem se apostolum non ab hominibus, aut per hominem, sed per Jesum Christum constitutum esse depromit: quod si idem evangelium non se ab hominibus didicisse aut per hominem, sed per Jesum Christum accepisse contendit: merito Deus est Christus.«[21]

Analysi accuratiori instituta triplex in his paucis versibus genus argumentorum distinguere licet et iuvat. Primum procedit ex gestis in vita Christi, nempe ex eo quod Christus de caelo venit et quod, dum in terris degebat, secreta conspexit cordis et peccata dimisit, quorum unumquodque nullius est nisi Dei. Secundum nititur testimonio explicito Christi »Ego et Pater unum sumus«, quo respondit Judaeis postulantibus ab eo claram confessionem utrum sit Messias nec ne. Tertium postremo genus initium capit a testimoniis apostolorum ac item divinitatem Christi manifesto com-

---

[19] Fausset, cap. 13, p. 43(8—9).

[20] Fausset, cap. 13, p. 43(16)—44(7). Sublineatio est nostra.

[21] Fausset, cap. 13, p. 44(11—26).

probat. Nam »omnibus divinitatis Christi probationibus et rebus instructus apostolus Thomas, respondens Christo Dominus meus et Deus meus dicit.« Apostolus vero Paulus inquit: »Christus ... est super omnia Deus benedictus in saecula« (Rom. 9, 5); et prosequitur aliis locis »se apostolum non ab hominibus, aut per hominem, sed per Jesum Christum« (Gal. 1, 1) esse constitutum atque evangelium non se ab hominibus didicisse aut per hominem, sed per Jesum Christum accepisse contendit (cf. Gal. 1, 12). Ex quibus omnibus, ut liquet, aliud concludi nequit nisi Christum iure merito Deum dici.

Nemo est qui non videat in centro praedictae expositionis poni praeclarum ipsius Christi testimonium »Ego et Pater unum sumus«. Ad hanc sollemnem confessionem Domini bis redibit Novatianus semper magis evolvendo ac elucubrando, quantum ei necessarium apparet, relationes inter Patrem et Filium.

Interim autem, rediens ad dicta priora, Novatianus dilemma proponit: »Itaque ... cum ... manifestum sit omnia esse facta per Christum, aut ante omnia est, quoniam omnia per ipsum, et merito et Deus est: aut quia homo est, post omnia est, et merito per ipsum nihil factum est.«[22]

Dein Novatianus aggreditur veram copiam textuum Scripturae plausibilium iterum atque iterum inculcando conclusionem: »Non ergo ... homo tantum est, ... sed et Deus«.[23] Vel aliter: »Veniendo ... inde, unde homo venire non potest, Deum se ostendit venisse.«[24] Nam Christus non est de hoc mundo (Jo. 8, 23), immo contra ex Deo processit et venit (Jo. 8, 42) et antequam Abraham fieret ipse iam est (Jo. 5, 58). Nunc autem Verbum caro factum in mundo degens salutem perpetuam atque immortalitatem suis porrigit (Jo. 10, 27—28).[25] Aliis verbis, Christo probantur talia convenire attributa, quae nonnisi soli Deo convenire possunt.

3. Sic Novatianus denuo redit ad celebre testimonium Domini »Ego et Pater unum sumus«, quod ei sine ulla dubitatione tamquam fascis apparet, in quo omnes radii divinitatem Filii ostentantes in unum colliguntur. »Si homo tantummodo Christus, quid est, quod ait: Ego et Pater unum sumus? Quomodo enim Ego et Pater unum sumus, si non et Deus est et Filius? Qui idcirco unum potest dici, dum ex ipso est, et dum Filius eius est, et dum ex ipso nascitur, dum ex ipso processisse reperitur; per quod et Deus est.«[26] Novatianus hic non iam acquiescit in mero facto divinitatis Christi exhibito. Sed ratione habita haeresis sabellianae, quae in trinitate divina tandem aliquando nonnisi varias

---

[22] Fausset, cap. 13, p. 45(1—5).
[23] Fausset, cap. 13, p. 45(7—8).
[24] Fausset, cap 15, p. 48(16—17).
[25] Fausset, cap. 15, p. 49—52.
[26] Fausset, cap. 15, p. 52(17—21).

agnoscit relationes Dei unipersonalis ad mundum,[27] lucem quandam in ipsam unitatem et distinctionem inter Deum Patrem et Filium vigentem immittere conatur. Punctum decisivum censet factum aeternae filiationis sensu genuino acceptae: »Deum enim se sic intellegi vult, ut Filium Dei et non ipsum Patrem vellet intellegi.«[28] Ita et Judaesis, qui eum de blasphemia calumniabant, Dominus aperte respondit: »Vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum?« (Jo. 10, 36). At Novatianus prosequitur: »Ita quod ad crimen blasphemiae pertinet, Filium se non Patrem dicit: quod autem ad divinitatem spectet ipsius, Ego et Pater unum sumus dicendo, Filium se esse et Deum probavit. Deus est ergo: Deus autem sic, ut Filius sit, non Pater.«[29]

Plura de hac re Novatianus adhuc dicenda habet. Sed interim alia insuper testimonia conquirere studet, quae tamen omnibus diligenter indagatis pro quaestione nostra praesenti minoris omnino sunt momenti. Ea itaque brevissime attingere sufficiat. — Dicebat Dominus Marthae: »Qui... credit in me, non morietur in aeternum« (Jo. 11, 26). Verba autem haec vera esse non possent nisi Christus sit Deus, cum maledictus esse teneatur omnis qui confidit in homine.[30] — Ulterius »si homo tantummodo Christus, quomodo Paraclitum dicit de suo esse sumpturum quae nuntiaturus sit?«[31] — In sequentibus ad sua dicta priora alludit, sua argumenta dialectice evolvens plura repetit et in eorum confirmationem varios Scripturae textus invocat. Sic tandem etiam Moysen contestatur, sed speculationibus non minus periculosis quam subtilibus innexus ansas praebet ad quamplurimas subordinatianismi accusationes. At quomodo Novatianus ab eiusmodi erroribus perfecte salvari possit, non videmus. Fuse nos haec in parte sequenti occupabunt.[32]

Etiam quae sequentibus octo capitibus habentur, quantum ad positivum valorem probationis minoris prorsus momenti dici debent.[33] Potius per moduum illustrationis adducuntur, si prae oculis habetur respectus quaestionis nostrae, quamvis nonnunquam in eis rerum gravioris ponderis mentio fiat. Hae autem, ut paene di-

---

[27] Cf. Pohle-Gierens: Lehrbuch der Dogmatik, I[8], Paderborn 1931, p. 279; A. D'Alès: La théologie de Saint Hippolyte, Paris 1906, p. 8—35; J. Tixeront: Histoire des dogmes I[4], Paris 1906, p. 315.

[28] Fausset, cap. 15, p. 53(8—9). Sublineatio est nostra.

[29] Fausset, cap. 15, p. 54(1—4). Sublineatio est nostra.

[30] Fausset, cap. 16, p. 54(5—16).

[31] Fausset, cap. 16, p. 55(1—2); Jo. 16, 14.

[32] Interim vide quae habentur a medio capitis 16 usque ad finem capitis 17.

[33] A capite 19 usque ad caput 26 inclusive.

cam, quasi passim sparguntur. Tota expositio in primis quandam speciem argumentationis ad hominem prae se ferens, saltem in pluribus, protinusque Scripturae auctoritatem urgens, argumenta prius exposita confirmare nec non difficultatibus insurgentibus satisfacere contendit.

4. Hac occasione Novatianus secunda iam vice revertitur ad lepidum suum argumentum, quod ei omnibus praeplacet, haustum ex Christi confessione »Ego et Pater unum sumus«. En quae leguntur: »Sed quia frequenter intendunt (patripassianistae) illum nobis locum quo dictum sit: Ego et Pater unum sumus, et in hoc illos aeque facile vincemus. Si enim erat, ut haeretici putant, Pater Christus, oportuit dicere: Ego Pater unus sum. At cum Ego dicit, deinde Patrem infert, dicendo Ego et Pater, proprietatem personae suae, id est Filii, a paterna auctoritate discernit atque distinguit, non tantummodo de sono nominis, sed etiam de ordine dispositae potestatis; qui potuisset dicere, Ego Pater, si Patrem se esse meminisset. Et quia dixit unum, intellegant haeretici quia non dixit unus. Unum enim neutraliter positum societatis concordiam non unitatem personae sonat. Unum enim non unus esse dicitur, quoniam nec ad numerum refertur, sed ad societatem alterius expromitur. Denique adicit dicens, sumus, non sum, ut ostenderet per hoc quod dixit, sumus Ego et Pater, duas esse personas; unum autem quod ait, ad concordiam et eandem sententiam et ad ipsam caritatis societatem pertinere, ut merito unum sit Pater et Filius per concordiam et per amorem et per dilectionem. Et quoniam ex Patre est, quicquid illud est, Filius est, manente tamen distinctione, ut non sit Pater ille qui Filius, quia nec Filius ille qui Pater est. Nec enim sumus addidisset, si unum se et solitarium Patrem Filium factum esse meminisset.«[34]

Totam hanc dictionem Novatianus a Tertulliano est mutuatus.[35] Qua perpulchre ostenditur Christum se clare a Patre distinguere. Hoc enim ex accurata verborum analysi luce clarius apparet. Neutrum »unum« indicat concordiam in multiplicitate, numerus vero pluralis »sumus« distinctionem personarum.[36] Stupenda revera eloquentia fulgidaque claritate Novatianus hic diversitatem personarum divinarum intendit, sed earum unitatem in ratione essentiae deficienter tantum attingit. Iure proinde Fausset observat, Novatiani interpretationem circa Dei unitatem sensu mere affir-

---

[34] Fausset, cap. 27, p. 96(17)—98(4).

[35] Dr. E. Kroymann: Tertullian Adversus Praxean (Sammlung - Dr. G. Krüger), Tübingen 1907, cap. 22, p. 36 (2—19) vel Migne, P. Lat. II, 183—184.

[36] Elegantius adhuc dicet s. Augustinus: »In duobus istis verbis quod dixit, unum, liberat te ab Ario: quod dixit, sumus, liberat te a Sabellio.« In Joannis Ev., Tract. 36, 9. Migne, P. Lat. XXXV, 1668.

mativo rectam quidem, nihilominus valde inadaequatam esse.[37] Quod eo gravius fertur, cum ipse Tertullianus de hac re prius disserens explicitis verbis dixerit: »... dictum est: Ego et Pater unum sumus, ad substantiae unitatem, non ad numeri singularitatem.«[38] Ideo verum quidem manet quod Gallandius in indice ad Novatiani librum De Trinitate a se confecto quoad caput 27 asserit dicens: »Pulcre respondet ad illud: Ego et Pater unum sumus, quod illi (sabelliani et patripassianistae) pro se intendebant.«[39] Sed non obstante pulchritudine Novatianus saltem hoc loco ad pleniora non progreditur. Praecise hic magis quam alibi deficit in statuenda aequalitate inter Patrem et Filium, quae vero necessario exspectaretur ad modum complementi accuratiorisque interpretationis formulae eius tam saepe redeuntis: Filius Deus est. Sine dubio etiam nunc unitatem Patris et Filii valde inculcat, sed eam prius in »societatis concordia« seu »caritatis societate« intelligere aut in unitate »per concordiam et per amorem et per dilectionem« reponere, quam ad strictam in ipsa ratione essentiae unitatem redigere videtur. Sic igitur in »morali et practica unitate«[40] sistit, cum ad essentiae unitatem sensu metaphysico ascendere deberet.

Profecto, quid esset magis desiderandum, quam ut Novatianus rediret ad »substantiae concordiam«, de qua paulo supra locutus est agendo de Verbo incarnato?[41] Postea utique clare atque expresse dicet: »... quando Pater voluit, processit ex Patre ... substantia ... illa divina, cuius nomen est Verbum, per quod facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil«.[42] Item sub finem libri de communione substantiae inter Patrem et Filium loqui non negliget.[43]

---

[37] Fausset, p. 97 ad 14.

[38] Dr. E. Kroymann (ut sub nota 35), cap. 25, p. 41(14—15) vel Migne P. Lat. II, 188; cf. A. D'Alès: La théologie de Tertullien, Paris 1905, p. 81—82. Sublineatio in textu relato est nostra.

[39] Andreas Gallandius: Bibliotheca veterum Patrum antiquorumque scriptorum ecclesiasticorum, III, Venetiis 1767, p. 315.

[40] Fausset, p. XLVII.

[41] Fausset, cap. 24, p. 91(3). Sublineatio est nostra.

[42] Fausset, cap. 31, p. 118(5—9).

[43] Quae Maranus, lib. 4, cap. 19, 2 (p. 622), sic explicat: »... substantiae communionem inter Patrem et Filium admittit, eamque in hoc positam putat, quod tota divinitatis auctoritas Filio tradita, eadem in Patre esse non desinat. Sed illud semper arctissime tenet Filium, ut a Patre genitum, non esse origine aequalem Patri.« Eidem sententiae patrocinatur etiam Gallandius: Bibliotheca veterum Patrum antiquorumque scriptorum ecclesiasticorum, III, Venetiis 1767, p. 314 ad 10. Similiter multi alii, vix non omnes.

De his omnibus ergo nihil apparet, ubi eorum neglectio aegre tantummodo sustinetur. Minime utique excluduntur, sed eorum in locum debilis quaedam introducitur analogia ex I. Cor. 3, 5 sqq: »Ego plantavi, Apollo rigavit... Qui autem plantat, et qui rigat, unum sunt...« Illustratio enim haec od »concordiae unitatem ...cum personarum tamen distinctione«[44] in divinis collustrandam frustra adducitur, cum unitas essentiae quamlibet concordiae societatem longe superet atque transcendat. Ceteroquin analogia haec perperam etiam videtur a Novatiano tractari, ita, ut ad eius doctrinam de unitate inter Patrem et Filium profundius intelligendam nihil conferat. Utitur enim in reciproca inter Paulum et Apollinem relatione designanda illa expressione »unum sunt« ad significandam eorum unitatem in veritate, fide et religione.[45] Indicat ergo unitatem animorum volutatumque consensum servata personarum distinctione. Ammundsen ideo praefert analogiam hanc penitus negligere, quia ex natura humana sumpta sit.[46] Fausset vero necessitatem huiusmodi praetermissionis minus approbat, cum etiam ipsa fidelium unitas non sit mere humanum quid, sed elementum quoddam divinum involvat necesse est, licet Novatianus huius rei mentionem nullo modo faciat.[47] Quidquid sit, istam analogiam negligere rei ipsi certe detrimento non est.

At omnibus his consideratis facile intelligitur quomodo Petavius, quamvis non iure, tamen non sine fundamento, nimis severe concludere ausus sit: »Capite secundo et vicesimo, verba illa Joannis decimo, Ego et Pater unum sumus, **Ariano pene more declarat:** Unum autem, quod ait, ad concordiam (inquit) et eandem sententiam et ad ipsam charitatis societatem pertinet, ut merito unum sit Pater et Filius per concordiam et per amorem et per dilectionem.«[48] Quare diligenti conside-

---

[44] Fausset, cap. 27, p. 98(5—6).

[45] Fausset, cap. 27, p. 98(17—20): »...unum ambo sint. Nam quando duorum una sententia est, veritas una est, fides una est, una atque eadem religio est,... unum sunt, etiam si duo sint.«

[46] Ammundsen, p. 35—36.

[47] Fausset, p. XLVII—XLVIII.

[48] Dionysius Petavius: Theologica Dogmata II, De Trinitate, lib. I, cap. V, 5 (p. 29b), Venetiis 1745. Observes tamen Petavium memorando caput secundum et vicesimum sequi adhuc perturbatum veterum editionum ordinem, quo spectato Gallandius, Biblioth. vet. Patrum..., III, Venetiis 1767, p. XIX, ait: »Illud vero in primis curavimus, ut ad sua quaeque loca luxata membra reducerentur, duce nobis praeeunte doctissimo Cotelerio, qui capitum trajectionis in libro de Trinitate post Henricum Valesium acute advertit adnotavitque.« — Ipse vero Cotelerius rem breviter sic refert: »...de Novatiano Romano Presbytero rem obiter narrabo veram, nec scitu indignam. Non semel ab Henrico Valesio audivi, librum Novatiani de Trinitate ingenti

ratione nec non laude digna videtur animadversio A. D'Alès fere haec habens: Novatianus vidit necessitatem tenendi pluralitatem in unitate. Modo prae unitatis mysterio eius oculus turbatur, ideoque non descendit usque ad fundum quaestionis sabellianae. De concordia in Trinitate bene quidem loquitur, sed unionem denotat moralem indecisamque relinquit unitatem metaphysicam.[49]

Nefas autem esset velle rem sic absolvere. Depromere enim oportet quae clariora circa eandem quaestionem sequuntur atque insufficientiam, quantum salvis legibus scientificis fieri potest, accuratioribus complere.

Observes propterea Novatianum adversus haereticos, qui vel Christum cum Patre confundunt vel e contra hominem tantummodo eum dicunt, sollemniter declarare: »Nos ... et scimus et legimus et credimus et tenemus unum esse Deum, qui fecit caelum pariter ac terram, quoniam nec alterum novimus aut nosse (cum nullus sit) aliquando poterimus.«[50] Ac denique firmissime etiam asserit: »Est ergo (Filius nempe) Deus, sed in hoc ipsum genitus, ut esset Deus.«[51] Quibus attente ponderatis poteruntne, quaeso, verba eius tam idonea per meram unitatem m o r a l e m defendi? Vix credo! Nam unitas hic plus premitur, quam ut morali nonnisi natura satis exhauriatur.[52]

Sed ne forte super arenam domum nostram exstruere videamur, alia insuper adire volumus, quae nos assentiri adhuc manifestius cogunt. In memoriam ideo revocare liceat iam semel laudata. Ex Patre, »quando ipse voluit, sermo Filius natus est ... in s u b s t a n t i a prolatae a Deo virtutis.«[53] Vel iterum: »... quando Pater voluit, processit ex Patre ... s u b s t a n t i a ... i l l a d i v i n a, cuius momen est Verbum, per quod facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil.«[54] Vel tandem, licet quoad quaedam primo aspectu ambigua: »Unus Deus ostenditur verus et aeternus Pater,

---

deformari transpositione, deque ea a se confectam fuisse Dissertationem. Itaque post viri incomparabilis obitum, litteris damnosum, litteratis acerbum, mihi certe luctuosissimum, exspectabam, sperans in publicum prodituram cum aliis Dissertatiunculam. Sed ubi spem vidi protractam, atque tantum non amissam, cepit me desiderium quaerendae illius transpositionis. Proinde sumptum in manus legi diligenter tractatum. Nec inanis exstitit labor. Nactus enim sum capiti 14. subjungi debere capita 23. 24. 25. 26. 27. indeque 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. ac demum 28. cum sequ.« Joh. Bapt. Cotelerius: E c c l e s i a e g r a e c a e m o n u m e n t a III, Luteciae Parisiorum 1686, p. 634. — Cf etiam Fausset, p. XXVIII sq.

[49] D'Alès, p. 113.

[50] Fausset, cap. 30, p. 113(12—15).

[51] Fausset, cap. 31, p. 121(12).

[52] Huic opinioni videtur favere etiam Maranus, lib. 4, cap. 19, 3 (p. 624).

[53] Fausset, cap. 31, p. 116(4—7). Sublineatio est nostra.

[54] Fausset, cap. 31, p. 118(5—9). Sublineatio est nostra.

a quo solo haec vis divinitatis emissa, etiam in Filium tradita et directa, rursum substantiae per communionem ad Patrem revolvitur.«[55]

Quibus omnibus perpensis etiam Dorner, qui, quamvis multa in hoc ultimo capite libri reprehendenda inveniat, non iam haesitat affirmare Novatianum hisce verbis unitatem essentiae Patris et Filii propugnasse.[56] At profecto, secus Novatiani conclusio »Est ergo Deus, sed in hoc ipsum genitus, ut esset Deus«[57] captu difficilis evaderet, ne dicam: sensum intelligibilem non iam redderet. Cui nostro iuducio etiam Maranus manifesto assentitur, quatenus optime observat Novatiani responsionem his, qui quaerebant, quomodo non duo sint dii, si Pater Deus est et Filius Deus, nihil fere habere praeter hanc cautionem, ne Filius a Patris substantia separetur, quo posito non iam unus apud christianos Deus exstitisset. Ac tandem toti argumento tamquam corona a Novatiano imposita est egregia unitatis substantiae in Patre et Filio asseveratio.[58]

Placet recentiorem adhuc audire auctoritatem quantum ad hanc ultimam Novatiani expositionem de intimis inter Patrem et Filium relationibus: »Il (le Christ) reçoit du Père, avec l'empire sur toutes choses, tous les droits et la substance même de la divinité, mais les remet au Père.«[59] Merito idem auctor ad unitatem substantiae concludit etiam ex capite 16, ubi Novatianus exponendo praeexistentiam Verbi explicite dicit: »in substantia fuit Christus ante mundi institutionem.«[60] Nam Christus exhibetur instrumentum creationis, ut dure dicatur. Hoc autem necessario supponit eum praeexstitisse superiore ratione quam modo mere ideali in mente Patris. Nec in mera praedestinatione Christum ante mundi creationem exstitisse dici potest. Quia, cum ante ipsum praedestinati cernuntur Adam, Abel, Enoch, Noe, Abraham et reliqui ceteri, his omnibus Christus inferior dicendus foret, Exinde D'Alès concludit: »Il faut reconnaître qu'il possède la divinité, sur un pied d'égalité avec le Père.«[61]

---

[55] Fausset, cap. 31, p. 122(7—10). Sublineatio est nostra.

[56] Dorner, p. 602. — Ad cap. 31 scribit etiam Dr. Reinhold Seeberg: Lehrbuch der Dogmengeschichte, I², Leipzig 1908, p. 480: Um dem Ditheismus zu entgehen kann sich Novatian »ganz subordinatianisch ausdrücken, aber auch die Substanzeinheit zwischen Vater und Sohn betonen, beides diente ja dem Zweck, die Einheit Gottes festzustellen.«

[57] Fausset, cap. 31, p. 121(12).

[58] Maranus, lib. 4, cap. 19, 2 (p. 621, 622).

[59] D' Alès, p. 96. Sublineatio est nostra.

[60] Fausset, cap. 16, p, 57(19).

[61] D'Alès, p. 126. — Etiam Jordan, p. 113, concludit: »Aus dem Vorstehenden lässt sich erkennen, dass Novatian die Einheit des Gottessohnes mit dem Vater abgesehen von einer Reihe teils unbestimmterer, teils ethisch bestimmter Gedanken durch die Einheit der Substanz erklärt.«

Quare quod tandem aliquando ex praedictis concludendum sit, sic exprimendum censemus:

Ter proponendo Domini testimonium »Ego et Pater unum sumus« Novatianus parce tantum minusque idonee genuinam Patris et Filii unitatem in ipsius essentiae ratione adumbrat, dum tamen aliis locis ac aliis occasionibus communionem substantiae inter utrumque arcessere non dubitet. Atque ita ipsa rerum ratio in Novatiani tractatione nos invitat ad singula et particularia circa varia eius argumenta subtilius perscrutanda. Sic tandem apparebit utrum et quomodo Novatianus ad veram catholicamque divinae Trinitatis unitatem penetret vel vero tramitibus subordinatianismi ambulet.

II.

Novatianus ab auctoribus unanimiter subordinatianismi accusari solet. Mirum tamen est auctores minus esse inter se concordes in assignandis locis, in quibus huius erroris propositiones affirmentur aut saltem aliquomodo contineantur. Immo quantum ad hoc, auctores potius tam sunt discordes, ut Novatianus fere liberandus videatur ab omni accusatione immunisque declarandus a falsa subordinatianismi doctrina. Atque ubi concordia viget, textus mere indicantur, quin ipsa ratio erroris vere probetur atque accurate assignetur.

Nostrum igitur est, habita ratione sententiarum diversorum auctorum, qui ceteroquin valde erudite de re disserunt, quam accuratissime in singulos textus inquirere singulasque, quantum fieri poterit, indeterminationes tollere. Satis prorsus erit, si poterimus unum alterumve textum apodictice subordinatianismo infectum demonstrare, ne debeamus probabilibus vagisque tantum formulis positionem nostram defendere.[62] Textus ideo iam primo aspectu ambiguos consulto praetermittimus, cum verum proventum minime promittant.

---

[62] Typicum praecise sub hoc respectu est iuducium propositum a Ceillier in sua Histoire générale des auteurs sacrés et ecclésiastiques II, Paris 1882, chapitre 27, 7 (p. 428—429): »Revenant au Fils, il dit qu'il est éternel; quoique né du Père, il a toujours été dans lui; il en procède, il est Dieu de Dieu, la seconde personne par qui toutes choses ont été faites; égal à son Père, avec qui il ne fait qu'un seul Dieu par la communication d' une même substance. Malgré cela, on trouve dans cet écrit quelques passages qui, bien que susceptibles d'un sens orthodoxe, paraissent contraires à la divinité du Fils...« Sublineatio est nostra. — Simili modo indeterminato mentem suam expressit Lenain de Tillemont: Mémoires pour servir à l' histoire ecclésiastique des six premiers siècles III, Venise 1732, »Les Novatiens«, a. 3 (p. 479—480) — Cf. etiam Ammundsen, p. 33.

1. Aggrediamur itaque statim caput 17, in quo Novatianus ad divinitatem Filii vindicandam Moysen testem invocat. Triplex in argumento proposito passus distingui potest. Et primo quidem Moyses dicitur referre omnia per Verbum creata et condita esse, sed tali modo, ut introducat, Moyses scilicet, »Deum praecipientem.«[63] Atque »non alium ostendit tunc adfuisse Deo cui praeciperentur haec opera ut fierent, nisi eum per quem facta sunt omnia,... quem... et ante mundi institutionem Dei Verbum et Deum videmus.«[64]

Nonne hic vago saltem modo subauditur superioritas Patris atque inferioritas Filii in ipso opere creationis? Quid enim aliud importarent partes Patris, cuius fuit praecipere, et partes Filii, cuius fuit »in morigera oboedientia«[65] praeceptum implere ministeriumque suum exercere? Fataliter talia munera Filio asseruntur, cum ei praecise qua Deo, nam in ipso opere creationis, obvenirent.

Item, ut minus dicam, huiusmodi damnosa positio defendi videtur in secundo gressu argumenti, in quo de creatione hominis agitur. Repetit enim Novatianus pristinam suam formulam dicens: »Deo praecipiente ut homo fiat, Deus refertur esse qui hominem facit: facit autem hominem Dei Filius.«[66]

Quidquid autem ambiguitatis atque effugii hic forte relinquitur, in sequentibus radicitus eliminabitur. Moyses enim refertur ubique introducere »Deum Patrem immensum atque sine fine, non qui loco cludatur, sed qui omnem locum cludat: nec eum qui in loco sit, sed potius in quo omnis locus sit: omnia continentem et cuncta complexum, ut merito nec descendat nec ascendat, quoniam ipse omnia et continet et implet: et tamen nihilominus introducit Deum descendentem ad turrem quam aedificabant filii hominum, considerare quaerentem, et dicentem: Venite et mox descendamus, et confundamus illic ipsorum linguas ut non audiat unusquisque vocem proximi sui?«[67] Quem ergo volumus descendisse? Deum Patrem? Hoc repugnat, quia tunc ipse Pater loco cluderetur; quod supra memoratis evidenter contradicit. Ergo angelum? Sed contra est Deuteronomium (32, 8), in quo »animadvertimus rettulisse Deum haec«,[68] non angelum. »Neque ergo Pater descendit, ut res indicat; neque angelus ista praecipit, ut res probat. **Superest ergo, ut ille descenderit,**

---

[63] Fausset, cap. 17, p. 59 (3). Sublineatio est nostra.

[64] Fausset, cap. 17, p. 59 (6—15). Sublineatio est nostra.

[65] Fausset, cap. 31, p. 120 (18).

[66] Fausset, cap. 17, p. 59 (24—25). Sublineatio est nostra.

[67] Fausset, cap. 17, p. 60 (14)—61 (2).

[68] Fausset, cap. 17, p. 61 (7—8). Saltem Novatianus sic arguit, forte nitendo textu LXX, quidquid sit de ipsa validitate talis argumentationis.

de quo apostolus Paulus: Qui descedit, ipse est qui ascendit super omnes caelos, ut impleret omnia, hoc est **Dei Filius, Dei Verbum.**«[69]

Censemus hic necessario inferioritatem quandam Filii latere. Pater enim secundum Novatianum descendere non potuit, nam secus loco cluderetur. Hoc autem repugnantiam manifestam atque absolutam involvit, quia ipse Pater omnem locum cludit nec in loco esse potest, sed in eo potius omnis locus est. Pro Filio vero iuxta Novatiani asserta talis repugnantia non valet. Ille ergo descendere potuit. Deus quidem est, sed eum loco cludi non repugnat. Consequens huius argumentationis uti patet esset: Ergo Filius a Patre differt in ipsa ratione essentiae, secus enim de eo idem valeret ac de Patre, i. e. aeque repugnaret eum loco cludi. Sed tale consequens Novatianus apertissime reiceret, quia eius menti omnino contradicit, ut ex supra expositis primae partis satis constat.

Sic pervenimus ad chimaericum illud, quod tandem aliquando omni mitigato subordinatianismo aliquo vero sensu continetur. Una enim ex parte essentialem aequalitatem inter personas divinas tueri paratus est, altera tamen ex parte uni alterive personae talia abiudicat, quae illam aequalitatem intactam relinquere minime videntur.

Apud Novatianum tolleretur difficultas quoad hunc praesentem textum, si ageretur de descensu Verbi incarnati, quia ratione limitatae humanitatis omnia recte explicari possent. Attamen evidenter sermo est de Verbo ante incarnationem, cum quia agitur de descensu in vetere Testamento, tum quia Novatianus arguit hoc idem Verbum, quod descenderat, postea carnem factum esse ideoque Christum merito Deum pronuntiari. Sub hoc respectu haud satis attentioni commendari potest conclusio huius capitis finalis haec habens verba: »Verbum autem Dei caro factum est, et habitavit in nobis: hic erit Christus: Deus ergo pronuntiabitur Christus.«[70]

Immerito D'Alès nimia benevolentia subdere conatur aliam explicationem, qua omnis difficultas evanescat. Putat, quod si Pater dicitur incomprehensibilis, Filius autem comprehensibilis, hoc non ese intelligendum de divinitate, secundum quam uterque sit aeque incomprehensibilis. Sensus itaque esset: non esse nisi Filii sese traducere in creationem lingua quadam nostrae limitatae intelligentiae accessibili.[71]

---

[69] Fausset, cap. 17, p. 61 (10—13). Sublineatio est nostra.

[70] Fausset, cap. 17, p. 61 (14—15).

[71] D'Alès, p. 126: »Si le Père est dit incompréhensible et le Fils compréhensible, cela non plus ne doit pas s' entendre de la divinité, selon laquelle tous deux sont également incompréhensibles: mais il n' appartient qu' au Fils de se traduire lui-même dans la création, par un langage ac-

Sed observatio haec debili omnino nititur fundamento. Non licet simpliciter a priori supponere divinitatem Filii aeque ac Patris esse incomprehensibilem, nam hoc praecise apud Novatianum nunc est in quaestione. Investigandum necessario est ad quid incomprehensibilitas et comprehensibilitas praecise in ipso contextu referatur. Ac supra videbamus plane de Filio in ratione deitatis sermonem esse. Quod autem munus exclusive ad Filium pertinens sit sese nobis manifestare per creationem, desumi videtur mere ex eo quod Novatianus adducit pluries verba Johannis evangelistae »omnia per ipsum facta sunt.« Attamen Novatiani argumentatio, ut liquet, hoc loco aliter procedit. Et in ultima parte capitis 17, ubi explicite ac fuse de immensitate Patris et de descensu Filii agitur, verba illa Joannis nullo modo a Novatiano invocantur. Iure ergo concluditur totam argumentationem suppositum habere comprehensibilitatem Filii in ipsa ratione divinitatis, quamquam Novatianus nostro iudicio tale quid explicite asserere numquam ausus esset.

Rectius proin, quamvis nimio temperamento ac immodesta severitate, Petavius circa nostrum textum simul atque alios concludit: »Quae sunt iis consentanea, quae ex Justino supra memoravi.«[72] De Justino autem haec habet: »Quae omnia demonstrant, Justinum inferioris cujusdam conditionis esse putasse Filium, etiam antequam homo fieret; ac minorem esse Deum, qui nec ubique esset, et spatio circumscriberetur aliquo, et paternae voluntati serviret.«[73] Breviter etiam Ammundsen quoad omnes theophanias, de quibus inde a capite 17 usque ad caput 19 sermo est, paulo nimis severe concludit: iam ex his apparet Novatianum debere subordinationem Filii asserere.[74] Sed optime Tixeront, etsi indicet caput 31, de Novatiano ait: »Non seulement il admet cette subordination personnelle, . . . mais il déclare que le Fils n'est ni invisible ni incompréhensible comme le Père.«[75]

Ut tandem nostram mentem declaremus, arbitramur haec omnia in suo primitivo rigore sine iniuria erga Novatianum sustineri non posse. Ei enim problema tali modo ponebatur, ut inter duo extrema eligere deberet: inter adoptianismum et sabellia-

---

cessible à notre compréhension limitée.« — Attendas cl. auctorem haec potius referre ad caput 31, ubi Filius denuo in brevissimo inciso dicitur comprehensibilis. Libenter concedimus in illo loco separatim sumpto talem explicationem non esse prorsus impossibilem, attamen locus ille non est praecipuus.

[72] Dionysius Petavius: Theologica Dogmata II, De Trinitate, lib. I, cap. V, 5 (p. 29 b), Venetiis 1745.

[73] Ibid. De Trinitate, lib. I, cap. III, 2 (p. 21 a).

[74] Ammundsen, p. 33: »Allerede heraf ses det, at Novatian maa laere Soennens Underordning under Faderen.«

[75] J. Tixeront: Histoire des dogmes I[4], Paris 1906, p. 355.

nismum. Ipse autem nihilominus mediam viam sectatus est, veram divinitatem Christi contra primos, distinctionem vero a Patre adversus ultimos asseverando. Quin Christum proprie atque explicite Deum vocet, extra omne dubium versatur, cum hoc sescenties acciderit. Et Novatianus veram divinitatem Filii sic plene vindicatam aestimat, inscius periculorum quibus doctrinam hanc in philosophicis suis excursionibus de facto exposuit. Philosophia enim tunc temporis ancilla theologiae sensu pleno nondum erat. Et sic, uti experientia testatur, non unus primaevorum fidei defensorum, licet minime conscius, naufragus domum se contulit. Ita et Novatianus quaedam talia dixit, quae cum sua expressa doctrina nullo modo cohaerent. In eis utique error in sua austeritate nondum apparet, attamen partes agere possunt praemissarum, e quibus fatale deducatur consequens. Et vice versa qua conclusiones considerata, damnosa habent praesupposita.

Unum adhuc attentioni maxime commendamus. Novatianus in quandam subordinationem Filii alio prorsus modo quam stricti subordinatianismi propugnatores labitur. Hi enim ob falsa sua supposita Christum nudum hominem asserunt ac nonnisi per modum accessionis miraculosa quaedam nec non divinam aliquam vim ei attribuunt, ita tamen, ut Dominus solum Patri subordinata appareat creatura. Apud Novatianum autem res via inversa gestae sunt. Ille Christum in primis verum propugnabat D e u m. Attamen Verbum aeternum ut tale ab omnibus non-divinis illaesum servare, prospere ei non successit. Etiam hic paululum attenuate applicari potest, quod D'Alès alia in connexione dicit circa Novatiani conatus explicandi duplicem naturam in Christo: »Donc, au fond, l'intention est orthodoxe. Mais la présentation de la doctrine laisse gravement à désirer.«[76]

2. Post haec sat fuse tractata facilius absolvi poterunt similia, quae integro capite 18 habentur.

Moyses dicitur referre Abraham Deum vidisse. Sed contra est quod alibi in Scripturis legitur: »Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, et vivet« (Ex. 33, 20); vel iterum: »Deum nemo vidit umquam« (I. Jo. 4, 12). Sed cum Scriptura non mentiatur, verum esse debet etiam quod Moyses refert ideoque ergo vere visus est Deus. »Ex quo intellegi potest, quod non Pater visus sit, qui numquam visus est, sed Filius, qui et descendere solitus est, et videri quia descenderit. I m a g o est enim i n v i s i b i l i s D e i, ut mediocritas et fragilitas condicionis humanae Deum Patrem videre aliquando iam tunc assuesceret in imagine Dei, hoc est in Filio Dei. Gradatim enim et per incrementa fragilitas humana nutriri debuit per imaginem ad istam gloriam, ut Deum Patrem videre possit aliquando. Periculosa sunt enim

[76] D'Alès, p. 103—104.

quae magna sunt, si repentina sunt... Ex quo Filius est hic qui videtur; Dei autem Filius, Dei Verbum est...«[77]

Item mirum illud habemus, quo Filius verus Deus ideoque in essentia Patri aequalis asseritur, dum talia ei simul attributa adscribantur, ut ab eo essentialiter differre dicendus foret. Cum autem Filius fere millies consulto a Novatiano verus Deus asseratur, ad essentiale discrimen inter Patrem et Filium sine iniuria nemo concludere poterit. Sistendum igitur denuo est ante chimaericam illam atque inintelligibilem inferioritatem Filii, ad quam uberrima eloquentia nimiaque sagacitas quaesita paulo superbum Novatianum perduxit.[78] Nam quamvis Filius sit Deus, nihilominus inferior Patre sit oportet, cum secus ne quidem ipse Filius videri potuisset. Quae inferioritas etiam in comparatione addita de luce apparet, quatenus Pater »lux splendore nimio«, Filius vero »ortus luminaris« nuncupatur.[79] Verum quidem est talem similitudinem minime arguere essentiale discrimen, quia tertium comparationis cadit in variam tantum intensitatem lucis. Difficultas potius versatur circa consequens inde a Novatiano deductum, quod nempe Pater ideo sit invisibilis, Filius vero visibilis. At non licet haec ultima verba simpliciter tamquam falsam conclusionem seponere, utpote minoris momenti, nam affirmatio visibilitatis Filii in centro stat totius expositionis. E contra ipsa cum luce maioris et minoris intensitatis comparatio nonnisi obiter adducitur.[80]

---

[77] Fausset, cap. 18, p. 62 (7)—63 (17).

[78] S. Cyprianus enim scribit de Novatiano schismatico: »Quod vero ad Novatiani personam pertinet,... quisque ille est et qualiscumque est, christianus non est qui in Christi ecclesia non est. Iactet se licet et philosophiam vel eloquentiam suam superbis vocibus praedicet, qui nec fraternam caritatem nec ecclesiasticam unitatem tenuit etiam quod prius fuerat amisit.« Epist. LV. c. 24. Guilelmus Hartel: S. Thasci Caecili Cypriani opera omnia, Vindobonae 1871, p. 642 (3—10). Sublineatio est nostra. — Inde bene etiam a D' Alès, p. 134, observatum est: »...en interprétant la doctrine romaine sur la Trinité, il a bien prétendu donner aussi la mesure de son propre esprit. D'une part, il s'appuie au roc de la tradition; d'autre part, il risque des aperçus dogmatiques. Cette double intention rend bien compte à la fois de ce que l'oeuvre renferme de solide et de ce qu'elle présente d' aventureux.«

[79] Fausset, cap. 18, p. 63 (3, 6).

[80] Intelligitur inde reprehensio, quam Petavius more suo severius in hunc locum scribebat: »In quibus omnibus quaedam Arianae perfidiae velitationes ac praeludia cernuntur; ac Patre haud paullo inferior ostenditur...« Dionysius Petavius: Theologica Dogmata II, De Trinitate, lib. I, cap. V, 5 (p. 30 a), Venetiis 1745. Sublineatio est nostra.

Attamen ne obliviscamur non agi de pertinaci errore, sed potius de improvisa deviatione, quae spectatis rebus atque circumstantiis illius temporis magis excusationem quam reprehensionem meretur. Obiective nihilominus in verbis prout iacent ratio erroris minime tollitur et Novatiani mens pro dolor! subordinatianismo signata manet. Mutatis mutandis etiam hic eadem valet argumentatio et conclusio ac in praecedentibus, ubi de comprehensibilitate Verbi divini egimus.

3. Ut iam ad tertium textum gravem procedamus, operae pretium erit argumenta capitis 28 crisi subiicere.

Sabelliani suis adversariis saepe opponere solebant verba Domini in evangelio Joannis relata: »Philippe, qui videt me, videt et Patrem« (Jo. 14, 9).[81] Arguebant exinde unipersonalitatem divinam. Novatianus ideo ad distinctionem personarum divinarum salvandam vario modo hunc textum explicat ac postremo eo pervenit, ut asserat: Si Christus ipse »Pater fuisset, quid quasi futurum praemium repromittebat, quod iam praestiterat et dederat? Nam quoniam dicit: B e a t i m u n d o c o r d e, q u i a i p s i D e u m v i d e b u n t, polliceri deprehenditur contemplationem et aspectum Patris. Ergo nondum dederat: cur enim repromitteret, si iam dedisset? D e d e r a t e n i m, s i P a t e r e s s e t; videbatur enim, et contingebatur. Quando autem, dum contingitur ipse Christus et videtur, repromittit tamen et dicit, quoniam qui mundo fuerit corde, Deum videbit, hoc ipso probat Patrem se non esse, qui tunc praesens cum videretur repromittebat, quod Patrem visurus esset quisquis mundo corde fuisset. Erat ergo repromittens haec non Pater sed Filius; ...C u r e n i m r e p r o m i t t e b a t m u n d i s u t v i d e r e n t P a t r e m, s i i a m t u n c q u i p r a e s e n t e s e r a n t, P a t r e m C h r i s t u m v i d e b a n t? Sed quia Filius erat, non Pater, merito et Filius, quia imago Dei, tunc videbatur, et Pater, quia invisibilis, mundis corde, ut videretur, repromittitur et notatur.«[82]

Quamvis hic primarie agatur de argumentatione ad hominem, non sunt negligenda quae involvuntur. Necessario enim latet vera quaedam inferioritas Filii nonque mera distinctio in ratione personarum. Nam si Pater incarnatus locutus esset, uti haud obscure insinuatur, non habuisset quid ulterius repromittendum. Nec ullo modo oblivioni tradendum est, manifesto supponi totum atque integrum Christum, non exclusa eius divinitate, visum a mundis corde dum praesens cum eis loquebatur. Quomodo enim secus potuisset Novatianus dicere: »Cur enim repromittebat mundis ut viderent Patrem, s i i a m t u n c q u i p r a e s e n t e s e r a n t, P a-

---

[81] Observes apud Novatianum legi: Philippe, qui vidit me, vidit et Patrem. Sed lectio nihil ad rem.

[82] *Fausset, cap. 28, p. 104 (6)—105 (4). Sublineatio est nostra.*

trem Christum videbant?«[83] Ut iterum dicam: evidenter supponitur totus Christus visus, quoad humanitatem scilicet et quoad divinitatem. Tantummodo hac ratione non iam habuisset quid ulterius repromittendum!

Textus hic ab auctoribus minus consideratur, immo quasi penitus negligitur. Attamen eius analysis difficultatem non mediocrem prodit. Et non videmus, quomodo absque vitiis aut saltem vestigiis alicuius verae Filii subordinationis perfecte intelligi atque explicari possit.

Modo dicebamus auctores hunc textum minus attendere. Utimur hac occasione ut verbum saltem dicamus circa modum procedendi eorum, qui hucusque de subordinatianismo Novatiani locuti sunt. Sine ulla fere exceptione omnes mere ultimum libri caput diligentius considerare solent. Ex professo licet illic agatur de relationibus inter Patrem et Filium, tamen ex ipsa indole dictionis et plus adhuc ex totius libri compositione satis recolitur, in eis quoad maximam partem mere eleganter resumi quae in superioribus capitibus exposita sunt. Inde liquet, minime sufficere ad

---

[83] Fausset, cap. 28, p. 104 (19)—105 (1). Sublineatio est nostra. — Ipse nervus quaestionis quoad omnes hucusque citatos textus Thomassinum fugisse videtur, quia rem sic absolvere contendit: »Objectant et illa nobis asperiores Novatiani censores, ubi sub veteri Testamento non Pater, sed Filius narratur visus esse, in loco fuisse, descendisse, homines visitasse; quae omnia majestati Filii videntur non parum derogare.... At quaeso te, Filio haec adscribunt sacrae litterae in propria divinitatis substantia, an in assumpta tum ad tempus corporali specie aliqua? Si in propria substantia, et non in ascititia corporea forma, ergo Angelis, ergo beatorum hominum animabus inferiorem volebat Novatianus Filii naturam, quod ne adversarii quidem ausint illi imputare. Nec enim Angelus potest ad homines descendere, illos visitare, et alloqui, aliquo cum illis loco concludi, ab illis videri, nisi in emendicata visibili forma quapiam. Si Filium autem intelligebat Novatianus haec omnia non aliter subiisse, quam in assumpta specie visibili, sicut et postea in assumpta hypostatice humanitate: hinc ergo nihil decerpitur de summa eius divinitate et aequalitate cum Patre. Quamquam enim aequalis sit, immo una Patris Filiique natura dignitasque, ex proprietatis tamen personalis ratione, Filio magis congruit quam Patri, mitti, corporari, incarnari, condescendere et accommodare se naturis creatis, iisque videndum se sub his involucris exhibere, ut paulatim homines convalescerent, et assuescerent Deum videre, per alios et alios gradus huius contemplationis: in antiquis figuris, post in assumpta humanitate, a qua trajiciendi tandem aliquando sunt ad videndam divinitatem Filii, et per Filium ad Patrem ipsum videndum.« Ludovicus Thomassinus: Dogmata Theologica III, Tr. II De divina et sanctissima Trinitate, cap. 39, 8 (p. 346), Venetiis 1730.

Si haec valerent, argumentatio Novatiani sua vi destitueretur intelligendaque esset alio sensu ac quem verba reddunt.

vestigia subordinatianismi in toto opere dignoscenda, ut quis una tantum parte libri considerata contentus sit. Quod eo vel magis a nobis urgendum videtur, cum accurata analysis praecedentium necopinatas quasdam incohaerentias seriasque difficultates prodiderit.

Alius modus procedendi aeque deficiens est ille, quo Jordan subordinationem Filii apud Novatianum arguit. Quod librum De Trinitate attinet, cl. auctor mere materialiter colligit verba minus recte sonantia, quin ad ipsum sensum accuratius attendat et contextum consulat. Sic citat undecim locos praecipuos subordinatianismo quoad sonum verborum indulgentes, attamen fugiunt eum textus, in quibus longe maior est difficultas quam in aliquibus eorum, qui primo aspectu subordinationem Filii evidenter prodere videntur.[84]

Similiter absque sufficienti ratione Torm apodictice omnino ad caput 27 asserit, Novatianum non aliam invenisse viam vitandi sabellianismum, quam indulgendi subordinatianismo, quamvis etiam hic auctor concedere cogatur Novatianum ad minimum reducere contendisse elementum subordinationis.[85]

4. Operae pretium est cognoscere alios quoque textus atque ea inspicere verba, quae in seipsis considerata rectam quandam explicationem admittunt, in contextu vero inspecta magis cursum subordinatianismi flectere videntur.

En primus quidam textus. Agar, ancillam Sarae de domo eiectam, angelus refertur convenire apud fontem aquae in via Sur, et inter alia spondet atque promittit, quod ex utero Agar multum semen esset futurum. Hunc autem angelum et Dominum Scriptura proponit et Deum, nam seminis benedictionem non promisisset nisi angelus et Deus fuisset. Fuitne ergo Pater qui cum Agar loquens semen ei promiserat? Non! Absit Deum Patrem angelum dicere. Nam qua angelus subditus vocari deberet illius cuius angelus esset. Fuitne ergo simplex angelus qui semen Agar spoponderat? Minime, cum nomen »Deus« angelis numquam concessum sit. Intelligere itaque debemus Dei Filium fuisse. Nam personae Christi convenit ut et Deus sit, quia Dei Filius est, et angelus sit, quoniam paternae dispositionis annuntiator est.[86] — Omnia haec in se recte explicari possunt. Notandum tamen est eis immediate praecedere quae supra circa invisibilitatem Patris et visibilitatem Filii memoravimus. At insuper, ut ex infra dicendis patebit, Novatianus oboedientiam et ministerium Filii erga Patrem nimis premit,

---

[84] Jordan, p. 105—106.

[85] Frederik Torm: En kritisk Fremstilling af Novatianus' Liv og Fortattervirksomhed samt Eftervisning af den novatianske Bevaegelses Omfang og Betydning, Kobenhavn 1901, p. 84.

[86] Fausset, cap. 18, p. 63 (20)—65 (8).

ita ut hoc sensu saltem sapiant subordinatianismum. Sed in hoc non videtur nimis insistendum esse.

Similiter alio loco arguendo divinitatem Christi ex Phil. 2, 6—11 dura quaedam habet, ob quae durius adhuc a Petavio est accusatus. Haec enim praeter alia a Novatiano proferuntur verba: »Quamvis enim se ex Deo Patre Deum esse meminisset, numquam se Deo Patri aut comparavit aut contulit, memor se esse ex suo Patre, et hoc ipsum, quod est, habere se, quia Pater dedisset. Inde denique et ante carnis assumptionem, sed et post assumptionem corporis, post ipsam praeterea resurrectionem, omnem Patri in omnibus rebus oboedientiam praestitit pariter ac praestat. Ex quo probatur numquam arbitratum illum esse rapinam quandam divinitatem, ut aequaret se Patri Deo: quin immo contra, omni ipsius imperio et voluntati oboediens atque subiectus.«[87] — Subordinatio Filii iterum valde suspicione attingitur, praesertim in illa »ante carnis assumptionem« ostensa oboedientia, per quam Novatianus Filium etiam qua secundam divinae Trinitatis personam Patri oboedientem et subiectum facit. Dicimus suspicione attingitur, nam iterum nimis severe Petavius in auctorem libri De Trinitate increpans ausus est dicere: »... quicumque est auctor, de hoc mysterio non satis accurate est locutus, immo absurde pleraque tradidit.«[88] Ad suum iudicium probandum Petavius primo loco invocat praedictum textum, attamen immerito. Minus accurate forte dicta sunt, non tamen absurde, saltem non necessario.

Sed magis suspicio nostra nutritur nec non urgetur in aliqua haereticorum obiectionis solutione a Novatiano proposita. Solebant enim opponere: si unus esse Deus promitur, Christus autem Deus, ergo si Pater et Christus unus est Deus, Christus Pater dicetur. Respondet Novatianus non esse sequendum merum nomen, i. e. flatum vocis seu sonum »Deus«, sed potius ipsam rem esse explanandam. Sic apparet Christum esse secundam post Patrem divinitatis personam, quod dein ingenti multitudine textuum Scripturae ostendit. Sed vix periculosius concludere potuit quam sic dicendo: »quandoquidem tam veteris quam etiam novi testamenti Scriptura divina ubique ostendat illum ex Patre natum, per quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil, qui oboedierit semper Patri et oboediat, semper habentem rerum omnium potestatem, sed qua traditam, sed qua a Patre proprio sibi indultam. Quid enim tam evidens potest esse, hunc non Patrem esse, sed Filium, quam quod oboediens Patri Deo proponitur, ne si Pater esse credatur, alteri iam Deo Patri Christus subiectus esse dicatur?«[89]

---

[87] Fausset, cap. 22, p. 81 (10—19). Sublineatio est nostra.

[88] Dionysius Petavius: Theologica Dogmata II, De Trinitate, lib. I, cap. V, 5 (p. 29 b), Venetiis 1745.

[89] Fausset, cap. 26, p. 96 (7—16). Sublineatio est nostra.

Si nota distinctiva inter Patrem et Filium in oboedientia ac subiectione Filii reponitur, nonne necessario ad quandam speciem subordinationis verae pervenitur? Nam quoadusque in ratione divinitatis paritas non viget inter singulas personas atque quamdiu oboedientia simul cum subiectione fundamentum discriminis existimatur, quomodo realis subordinatio Filii excludatur non apparet.[90] Nollemus tamen hunc locum nimis urgere, quia plura ratione posterioritatis Filii in origine explicari possunt. Sed aliquid difficultatis certo remanebit.

Neque praetereundum esse arbitramur textum, quo Filius minor Patre proponitur. Verbis enim haud ambiguis haec ibi dicuntur: »Filius est ergo... et sanctificatum se a suo Patre esse proponit. Dum ergo accipit sanctificationem a Patre, minor Patre est: minor autem Patre consequenter est, sed Filius. Pater enim si fuisset, sanctificationem dedisset, non accepisset... Missum praeterea se esse dicit, ut per hanc oboedientiam, qua venit Dominus Christus missus, non Pater sed Filius probetur, qui misisset utique, si Pater fuisset. Missus autem non fuit Pater, ne Pater subditus alteri Deo, dum mittitur, probaretur.«[91] — His verbis vix aliquid est addendum, cum subordinationem plus quam sapiant. Si valde premuntur aliquatenus rectam explicationem admittunt, attamen extra dubium est, quin Novatianus Filium hic realiter ac vere Patri subordinatum existimet. Semper ergo atque semper redimus ad infirmam illam positionem rimosam incohaerentiisque obnubilam, qua Filius quidem apertissime verus Deus propugnatur, sed simul talia ei attributa vindicantur, ut eius divinitas logice infringatur et consequenter in ancipiti ponatur.

Relate ad omnes textus, secundarii imprimis ordinis, duo iudicia recentiora annectere opportunum censemus. En primum: »...l'exégèse que donne notre auteur du texte johannique: Pater major me est, est caractéristique. C' est bien en tant que Fils de Dieu que le Christ est inférieur au Père: dum ergo accipit sanctificationem a Patre est: minor autem Patre consequenter, SED Filius... Et toute l' exégèse des récits de théophanies renforce cette appréciation. Le Fils de Dieu y apparaît dans la dépendance du Père, comme le subordonné et le ministre du Père, comme ayant aussi des attributs qui ne sont pas tout à fait ceux du Père (voir les c. XVIII—XX en entier). En somme, malgré qu'il

---

[90] Iure igitur John Chapman ait: »But Novatian falls into the error made by so many early writers of separating the Father from the Son, so that he makes the Father address to the Son the command to create, and the Son obeys...« The Catholic Encyclopedia XI, New York 1913, p. 140, sub »Novatian and Novatianism«.

Vide similia apud Ammundsen, p. 33.

[91] Fausset cap. 27, p. 99 (11—23). Sublineatio est nostra.

se soit mis dès l'abord en garde contre les anthropomorphismes, Novatien ne laissa pas d'assimiler les rapports du Père au Fils à ceux qui s'établissent dans une famille humaine: un fils est de la même race que son père, à coup sûr; il lui reste néammoins subordonné.«[92] Altera vero sententia relate ad oboedientiam (cap. 22), potestatem qua traditam atque concessam (cap. 26) nec non quoad illam inferioritatem Filii inquantum sanctificationem a Patre accepit (cap. 27) huiusmodi habet tenorem: »Tous ces textes ramènent l' idée de sujétion du Fils à l'égard du Père, impliquée dans la condition même de Fils; mais on n'en saurait tirer rien de plus, quant aux relations essentielles entre le Père et le Fils. La divinité est un don du Père au Fils; tous deux la possèdent; seulement l'un donne et l'autre reçoit.«[93]

Ad haec tamen notandum nec esse necessariam explicitam et crudiorem subordinationis formulam (qualis inveniebatur v. g. apud Theodotum Corriarium et Paulum Samosatenum), ut quem subordinatianismi accusemus. Aliqua enim subordinatio refellenda iam eo ipso implicatur, quo Filio quaedam de divinis attributis Patris detrahuntur. Et talia in praedictis capitibus vere occurrunt, ita ut in explicatione praestanda semper aliqua remaneat obscuritas.

5. Ut iam ad ultimam nostrae disquisitionis partem perveniamus, considerandum restat caput 31, in quo Novatianus omnia sua argumenta quoad puncta essentialia brevissime denuo tangit, statuendo relationes inter Patrem et Filium. Ob maximum momentum huius capitis pro quaestione nostra praeferimus ante omnia ipsum textum exacte referre.

»Est ergo Deus Pater omnium institutor et creator, solus originem nesciens, invisibilis, immensus, immortalis, aeternus, unus Deus; cuius neque magnitudini neque maiestati neque virtuti quicquam, non dixerim praeferri, sed nec comparari potest. Ex quo, quando ipse voluit, sermo Filius natus est: qui non in sono percussi aeris, aut tono coactae de visceribus vocis accipitur, sed in substantia prolatae a Deo virtutis agnoscitur. Cuius sacrae et divinae nativitatis arcana nec apostolus didicit, nec prophetes comperit, nec angelus scivit, nec creatura cognovit; Filio soli nota sunt, qui Patris secreta cognovit.

Hic ergo, cum sit genitus a Patre, semper est in Patre. Semper autem sic dico, ut non innatum, sad natum probem. Sed qui ante omne tempus est, semper in Patre fuisse dicendus est: nec enim tempus illi assignari potest, qui ante tempus est. Semper enim in Patre, ne Pater non semper sit Pater. Quia et Pater illum etiam praecedit, quod necesse est prior sit, qua Pater sit: quo-

---

[92] É. Amann: Novatien et Novatianisme, in Dictionnaire de Théologie Catholique XI, Paris 1931, col. 823—824. Sublineatio prima, paenultima et ultima est nostra; secunda est ipsius auctoris.

[93] D'Alès, p. 116—117.

niam antecedat necesse est eum, qui habet originem, ille qui originem nescit; simul ut hic minor sit, dum in illo esse se scit, habens originem, quia nascitur, vicinus in nativitate, dum ex eo Patre, qui originem solus non habet, nascitur. Hic ergo quando Pater voluit, processit ex Patre: et qui in Patre fuit, quia ex Patre fuit, cum Patre postmodum fuit, quia ex Patre processit, substantia scilicet illa divina, cuius nomen est Verbum, per quod facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil. Omnia enim post ipsum sunt, quia per ipsum sunt, et merito ipse est ante omnia, sed post Patrem, quando per illum facta sunt omnia. Qui processit ex eo, ex cuius voluntate facta sunt omnia, Deus utique procedens ex Deo, secundam personam efficiens post Patrem, qua Filius, sed non eripiens illud Patri, quod unus est Deus.

Si enim natus non fuisset, innatus comparatus cum eo qui esset innatus, aequatione in utroque ostensa, duos faceret innatos, et ideo duos faceret deos. Si non genitus esset, collatus cum eo qui genitus non esset, et aequales inventi, duos deos merito reddidissent non geniti; atque ideo duos Christus reddidisset deos. Si sine origine esset ut Pater, inventus et ipse principium omnium ut Pater, duo faciens principia, duos ostendisset nobis consequenter et deos. Aut si et ipse Filius non esset, sed Pater generans de se alterum Filium, merito collatus cum Patre et tantus denotatus, duos patres effecisset, et ideo duos approbasset etiam deos. Si invisibilis fuisset, cum invisibili collatus, par expressus, duos invisibiles ostendisset, et ideo duos comprobasset et deos. Si incomprehensibilis, si et cetera quaecumque sunt Patris, merito, dicimus, duorum deorum quam isti confingunt controversiam suscitasset. Nunc autem quicquid est, non ex se est, quia nec innatus est, sed ex Patre est, quia genitus est. Sive dum Verbum est, sive dum virtus est, sive dum sapientia est, sive dum lux est, sive dum Filius est, et quicquid horum est, dum non aliunde est, quam, sicut diximus iam superius, ex Patre, Patri suo originem suam debens, discordiam divinitatis de numero duorum deorum facere non potuit, qui ex illo, qui est unus Deus, originem nascendo contraxit. Quo genere, dum et Unigenitus est et Primogenitus ex illo est qui, quia originem non habet, unus est omnium rerum et principium et caput, idcirco unum Deum asseruit, quem non sub ullo principio aut initio, sed initium potius et principium rerum omnium comprobavit.

Idem est denique quod nihil ex arbitrio suo gerit, nec ex consilio suo facit, nec a se venit, sed imperiis paternis omnibus et praeceptis oboedit: ut quamvis probet illum nativitas Filium, tamen morigera oboedientia asserat illum paternae voluntatis, ex quo est, ministrum. Ita dum se Patri in omnibus obtemperantem reddit, quamvis sit et Deus, unum tamen Deum Patrem de oboedientia sua ostendit, ex quo et originem traxit.

Et ideo duos deos facere non potuit, quia nec duas origines fecit, qui eo, qui originem non habet, principium nativitatis

ante omne tempus accepit. Nam cum id sit principium ceteris quod innatum est (quod Deus solus Pater est, qui extra originem est, ex quo hic est qui natus est), dum qui ex illo nascitur merito ex eo venit, qui originem non habet, principium probans illud esse, ex quo ipse est, etiamsi Deus est qui natus est, unum tamen Deum ostendit, quem hic qui natus est esse sine origine comprobavit.

Est ergo Deus, sed in hoc ipsum genitus, ut esset Deus. Est et Dominus, sed in hoc ipsum natus ex Patre, ut esset Dominus, Est et Angelus, sed ad annuntiandum magnum Dei consilium ex Patre suo angelus destinatus. Cuius sic divinitas traditur, ut non aut dissonantia aut inaequalitate divinitatis duos deos reddidisse videatur. Subiectus enim ei quasi Filio omnibus rebus a Patre, dum ipse cum his, quae illi subiecta sunt, Patri suo subicitur, Patris quidem sui Filius probatur; ceterorum autem et Dominus et Deus esse reperitur. Ex quo dum huic qui est Deus omnia substrata traduntur, et cuncta sibi subiecta Filius accepta refert Patri, totam divinitatis auctoritatem rursus Patri remittit. Unus Deus ostenditur verus et aeternus Pater, a quo solo haec vis divinitatis emissa, etiam in Filium tradita et directa, rursum substantiae per communionem ad Patrem revolvitur. Deus quidem ostenditur Filius, cui divinitas tradita et porrecta conspicitur; et tamen nihilominus unus Deus Pater probatur, dum gradatim reciproco meatu illa maiestas atque divinitas ad Patrem, qui dederat eam, rursum ab illo ipso Filio missa revertitur et retorquetur; ut merito Deus Pater omnium Deus sit, et principium ipsius quoque Filii sui, quem Dominum genuit: Filius autem ceterorum omnium Deus sit, quoniam omnibus illum Deus Pater praeposuit, quem genuit. Ita Mediator Dei et hominum Christus Jesus, omnis creaturae subiectam sibi habens a Patre proprio potestatem, qua Deus est, cum tota creatura subdita sibi, concors Patri suo Deo inventus, unum et solum et verum Deum Patrem suum, manente in illo quod etiam auditus est, breviter approbavit.«[94]

De his ab auctoribus multa scripta sunt. Inter omnes eminet D'Alès, qui breve atque accuratum de relationibus inter Patrem et Filium elaboravit schema, quod considerationi maxime commendamus.[95] Sed ut statim circa Filii subordinationem ea proferamus, quae D'Alès hac etiam occasione habet, observentur sequentia: »Novatien, ici encore, est de son temps; il met en puissant relief la primauté du Père, souligne la subordination du Fils...«[96] Et postea ait: »Parmi les griefs qu'on peut élever contre la doctrine trinitaire de Novatien, le plus résistant paraît être celui qui concerne le role ministériel du Fils, impliquant réelle subordination dans la Trinité.

---

[94] Fausset, cap. 31 (integrum), p. 115 (18)—123 (7).

[95] D'Alès, p. 122—123.

[96] D'Alès, p. 120. Sublineatio est nostra.

Nous croyons que les considérations apportées ci-dessus permettent du réduire ce grief à sa juste valeur...«[97]

Patet igitur cl. auctorem admittere in ministerio Filii, prout a Novatiano exprimitur, implicari realem ac proinde veram Filii subordinationem. Excusationes quas dein affert non tollunt errorem, sed intelligibilem eum reddunt ostenduntque Novatianum in his partes pervicacis haeretici non gessisse, sed bona intentione deviasse, sicut supra expressimus. Nostram opinionem in favorem laudati iudicii identidem patefecimus ideoque nihil addendum superesse aestimamus.

Difficultatem aliquam movebat Harnack, desumptam ex notis illis verbis: »Unus Deus ostenditur verus et aeternus Pater, a quo solo haec vis divinitatis emissa, etiam in Filium tradita et directa, rursum substantiae per communionem ad Patrem revolvitur.«[98] Volebat enim Harnack Filium expleto suo opere ad Patrem redire atque desinere in sua propria personalitate exsistere.[99] Sed haec opinio merito tum a Fausset[100] tum praesertim a D'Alès[101] reicitur. Censent enim totum hunc textum referri ad sphaeram vitae divinae; illius nempe vitae, quae ab omni principio aut fine est aliena, quaeque nullo modo inficitur temporali missione Verbi incarnati. Explicatio ista certo est plausibilis, dum reabsorptio Filii a substantia Patris omnem Novatiani tractatum legentem stupefaceret, cum nullibi dubium quoddam de personae Filii aeternitate insurgat.

Potius ad aliam attendendum est imdeterminationem, ne dicamus defectum, quam bene innuit Ammundsen. Notat enim Novatianum uti formulis Tertulliani »persona« et »substantia«, sed applicando conceptum substantiae non esse tam clarum, ut substantiam proponeret tamquam correctionem doctrinae subordinationis, sicut Tertullianus, iuxta cuius loquendi modum quando Pater et Filius et Spiritus una vocentur substantia, maxime urgeatur unitas.[102] Reapse Novatianus rarius quam exspectaretur applicat conceptum substantiae, quamvis dubium esse non possit de eius mente, ut in prima parte expressimus.

---

[97] D'Alès, p. 129—130. Sublineatio est nostra.

[98] Fausset, cap. 31, p. 122 (7—10).

[99] A. Harnack: Lehrbuch der Dogmengeschichte I[4], Tübingen 1909, p. 633, nota 2 sub 3): »wie Tertullian lehrt Novatian, dass der Sohn, wenn er sein Werk vollbracht, wieder in den Vater zurückströme, also aufhöre in Selbständigkeit zu existieren.«

[100] Fausset, p. XXXIV, 2 et p. 122 in notis.

[101] D'Alès, p. 130.

[102] Ammundsen, p. 35: »Iovrigt opererer Novatian med tertullianske Formler som persona og substantia. Og i Anvendelsen af dette sidste Begreb er Novatian ikke saa klar, at han deri har et Korrektiv til Subordinationslaeren, saaledes som Tertullian, efter hvis Sprogbrug Betegnelsen af Fader, Son og Aand som een Substans er en meget staerk Betoning af Enheden.«

Aliam difficultatem indicat Dorner. Non omnia quae evolvit approbanda censemus, sed ad quaedám attendere neglegere nolumus. Ecce sententia viri clarissimi. Existentia Filii a Novatiano dicitur dependens a voluntate Patris, nam Filius processit ex Patre, quando ipse Pater voluit. Et cum Filius dicitur semper in Patre fuisse, illud »semper« a Novatiano non accipitur absolute, sed relative tantum, i. e. idem significans ac »ante mundum« proindeque extra omne tempus.[103] Pater Novatiano est Deus sensu eminenti, ille solus est omnium rerum principium et caput. Filius est Unigenitus et Primogenitus Patris, in hoc ipsum genitus ut esset Deus, in hoc ipsum natus ut esset Dominus, attamen ut in morigera oboedientia minister sit paternae voluntatis.[104]

Difficultas indicata magis sentitur quam intelligitur. Mirum nempe illud sequitur, ut Filius non obstante sua cum Patre consubstantialitate Patri subordinatus sit, et quidem vero et proprio quodam sensu, ita ut Harnack non sine fundamento dicat: Novatianus declarat Patrem et Filium unam habere substantiam, sed nihilominus Filium Patri esse subordinatum.[105] Acutius adhuc Fausset animadvertit Tertullianum et Novatianum statuisse Filii subordinationem terminis, qui aequalitatem intra divinitatem violent.[106]

---

[103] Stricte loquendo forte melius Novatiani mentem assecutus est Maranus (lib. 4, cap. 19, 2, p. 621), qui ait: »Aeterna generatio praeclare exprimitur, dum Filius ante omne tempus fuisse in Patre et ex Patre dicitur; ita ut Pater ob hanc tantum causam prior quodammodo sit, quia originem nescit; Filius minor, quia originem habet. Sic stabilita aeterna generatione facile intelligitur Filium processisse ad mundi creationem quando voluit Pater, nec processisse »in sono percussi aeris«, sed ut personam divinam, quae idcirco processit ex Patre, quia semper in Patre fuit et ex Patre.«

[104] Dorner, p. 601—603.

[105] »Wie Tertullian erklärt Novatian, dass Vater, Sohn und Geist eine Substanz hätten (also ὁμοούσιοι seien; die Homousie entscheidet nicht über die Art und die Zeit des Ursprungs des Sohnes und über die Gleichordnung), dass aber der Sohn dem Vater und der Geist dem Sohne untergeordnet und gehorsam seien (c. 17 22 24), da sie von dem Vater (der Geist von dem Sohne) ihren Ursprung, ihr Wesen und ihren Auftrag hätten.« A. Harnack: Lehrbuch der Dogmengeschichte I[4], Tübingen 1909, p. 633, nota 2 sub 2). Ultima sublineatio est nostra.

[106] »And thus the subordination of the Son to the Father as the source of Deity is stated in terms which infringe upon His equality within the Godhead.« Fausset, p. XXXII. — Similiter in his Novatianum Tertulliano aequiperat J. Oskar Andersen: Novatian, Konkurrence-Afhandling for Professoratet i Kirkehistorie ved Kobenhavns Universitet, Kobenhavn 1901, p. 158: »Saerlig deres kristologiske Laere med den samme Polemik mod Monarkianismen, den samme Logoslaere med vaesentlig samme Bestemmelse af Gudsordets Forhold til Faderen (Subordinatianisme) og til Verden kunde begunstige Antagelsen.«

Ne tamen severius haec diiudicemus ipse scopus Novatiani semper prae oculis habeatur oportet. Ille orthodoxiam contra crassas adoptianismi et sabellianismi haereses in tutum collocare intendebat, nec ideo multum ad alias subtilitates attendebat. Ac insuper luce clarius apparet eum variis dictionibus mere voluisse posterioritatem Filii quantum ad originem inculcare, ut exinde personalem distinctionem Filii a Patre argueret. Quae cum his connectuntur locutiones inadaequatae et minus desideratae non sunt tanti faciendae. Nefas revera esset, si quis Novatianum propter eas etiam atque etiam carpere vellet. Nam aliud est fides catholica, aliud inexacta formulatio dogmatis, aliud naufragium speculativum.[107]

Quare et nos, quaesumus, nemo sic intelligat, ut dixisse videamur Novatianum explicitis formulis subordinatianismum defendere. Nam semel atque iterum De Trinitate librum perlegendo semper magis nobis persuasum est mentem Novatiani ab huiusmodi doctrina potius alienam esse. Nihilo secius, ut assidue notavimus, si plura eius asserta accurate inspiciunter veros subordinatianismi defectus irrepsisse detegitur. Quin harum incohaerentiarum origo, ut item non semel innuimus, in philosophica eius ingenii cultura quaerenda sit, minime dubitamus. Difficulter tamen determinatur cuiusnam scholae seu systematis specialis influxum Novatianus passus sit. Nam Romae saeculo tertio non vigebat aliqua schola theologica sensu stricto, quae niteretur peculiari quodam systemate philosophico, sicut v. g. schola alexandrina nitebatur philosophia platonica vel schola antiochena philosophia aristotelica. Propterea etiam auctores mere affirmare solent Novatianum suae aetatis philosophiam bene cognovisse, quia eius scripta bene excultum atque acutum ingenium manifestent.[108] Re-

---

[107] Ideo minime urgenda videtur difficultas, quam Dorner (p. 603) movebat his verbis: »Und ebenso, wenn kein Mittler mehr nötig ist, so ist auch, wo nicht die Persönlichkeit, doch die Gottheit (auctoritas divina) des Sohnes gefährdet. So droht dann die Trinität zu bloss ökonomischer Bedeutung herabzusinken.«

[108] Ita E. Du Pin in sua Nouvelle Bibliothèque des auteurs ecclésiastiques I, Utrecht 1731, p. 181 a, mere indicat Novatianum iam antequam baptizaretur philosophum fuisse, quin tamen de eius philosophia etiam verbum tantum dicat. — Explicite asserit H. Hagemann: Die römische Kirche u. ihr Einfluss auf Disciplin und Dogma in den ersten drei Jahrhunderten, Freiburg i. Br. 1864, p. 406: »wie die durchaus logische, schulmässige Haltung seiner Schrift bekundet, ein literarisch gebildeter, mit der damaligen Philosophie vertrauter oder wenigstens in dem Formalismus der damaligen Schullogik gewandter Mann.« — Nec magis ad rem recenter Frederik Torm: En kritisk Fremstilling af Novatianus' Liv og Forfattervirksomhed samt Eftervisning af den no-

fert quidem Eusebius testimonium Cornelii papae de Novatiani responso dato diaconis, qui eum persecutionis tempore rogaverunt. ut ex cubiculo, in quo se ipsum incluserat, egressus fratribus auxilio indigentibus succurreret. Ecce ipsum testimonim: »Neque enim presbyterum se amplius velle esse respondit, sed alterius philosophiae desiderio teneri.«[109] Ex hac autem relatione nihil pro re nostra hauriri potest. Nam philosophia hic potius videtur sumi sensu quodam ampliore, nempe pro modo vivendi, non pro systemate doctrinali.[110] Qui sensus minime impugnandus videtur, quia et contextu roboratur et a mente scriptorum antiquorum alienus non est. Nihilominus philosophiam sensu systematis doctrinalis intendere videtur s. Cyprianus haec scribens de Novatiano: »magis durus saecularis philosophiae pravitate quam sophiae dominicae lenitate pacificus«.[111] Sed quid praecise per illam saecularem philosophiam in oppositione ad dominicam sophiam attingatur, non liquet. Forte tandem aliquando etiam hic modus saecularis vivendi intelligendus est.

